Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1537
Quelle:
Copyright:

Scholasticos pertinet Scriptor, quod et phrasis prodit, cetera Historiae etiam profanae non imperitus. Extrema Tractatus desunt.

DCLVIII.

R. 3317 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 151. f. per duas columnas nitidissime exaratus, et coloribus speciosus complectitur I. *Ruperti Tuitiensis* Abb. *Libros XIII. de Victoria Verbi Dei*, prout extant in Edit. *Veneta* T. III. 1749. p. 514. f. praemisso alio prolixo *Capitulari*, quam, quod Editioni subjectum est. Adest Praefatio ad *Cunonem* Abb. *Sigebergensem*: *Nuper cum tu hospes* &c. Textus integer et sincerus est.

II. *fol.* 105. *Incipiunt Epistole beati Bernhardi de claraualle ad diuersas personas. Prima sua ad Rudpertum fugitiuum Monachum reuocatoria.* XLI. Rubricae sunt, primamque illam Epistolam praeit Narratio e *Vitae Bernhardi* L. I. c. 11. T. VI. *col.* 1083. qua scripta refertur *extra claustrum in medio imbre sine imbre.* Epistola *Maurianis* XXXII. ad *Abbatem S. Nicasii Remens.* nobis inscribitur ad *Gwidonem lansenen. Episcopum.* Praeterea inter Epistolas hic occurrit *Tract. de Baptismo ad Hugonem de S. Victore*, ut habetur edit. *Maur.* T. II. *col.* 625. *Tract. ad Innocentium II.* contra Errores *Abaelardi*, ut *col.* 643. Epistola *ad Severinum Monachum de Caritate*, quod Opusculum e *Richardo Victorino*, *Bernhardo* et *Petro Blesensi* compilatum legitur T. V. *col.* 389. absque *Severini* nomine simpliciter *de Caritate* inscriptum, nobisque primis *Richardi* 4. Capitibus ita terminatum: *et quam se ipsum. Et hec de hijs sufficiant.* Ubi Mauriani: *et quam se ipsum. de aliis*; manifesto argumento, etiam eorum textum hic interruptum fuisse. Agmen nobis cogit, sed fine mulctatus *Sermo beati Bernhardi abbatis de moribus infantum*, quem quidem hoc Rubro frustra quaeres. T. V. *col.* 373. inscribitur: *De ordine vitae et morum institutione*, incipitque: *Hortatur quidem timidam mentis meae* &c. nec *Bernhardi* est, sed judicio Maurianorum cujusdam *Benedictini.*

DCLIX.

Codex partim membraneus, R. 3329 partim chartaceus lat. germ. Sec. primum XII. tum XV. Folior. 128. 4. parte priore eleganter exaratus et rubro enotatus inscribitur: *Christianus ad solitarium quendam de imagine mundi. Solitarius* hic, ut bis in margine expressum legitur, *Honorius* est *Augustodun.* Opusque istud pluries hoc *Vol.* refertur. Praeit Epistola *Christiani*, in qua lege *et positionem orbis* pro *Expositionem*, cum *Honorii* responso, in quo malo *in scientię profundo* quam *in scientia profundo*, item *tibi depingi formulam*, quam *tibi depingam formulam*, ut habent Edita T. XX. *Bibl. PP. Lugd.*